

est. Ita etiã corpus quod in eo est, vel esse potest. At corpus & quod leuitate in sublime, & quod grauitate deorsum fertur, in eo esse potest. Natura enim sua illud à medio, hoc ad medium mouetur. Ex his ergo perspicuum est, infinitũ immensũque corpus esse non posse. Ac præterea si grauitas non est infinita, ne horum quidem corporum vllum immensum futurum, præsertim cum infiniti corporis necesse sit interminatã etiã esse grauitatẽ. Similisque est ratio leuitatis. Si enim infinita est grauitas, leuitas etiã est, si infinitũ immensũque sit id quod omnibus eminet. Sit enim finita, sumaturque *A* *B* infinitum corpus, *C* autem eius grauitas & pondus, detrahatur etiam ab eo quod infinitum est, *B* *E* definita magnitudo, & *E* sit eius grauitas: profectò *E* grauitas erit, quàm *C* minor: minoris enim minor est grauitas. Dimetiatur ergo minor grauitas maiorem aliquoties repetita, & *B* *D* cum *F* *B* vt minor grauitas cum maiore conferatur: ab eo enim quod infinitum est, quantumlibet auferri potest: certè si magnitudines & grauitates eandem rationem inter se habent, & minor grauitas minoris est magnitudinis, maior etiã maioris erit. Ita par erit, & æqualis rei terminatæ & interminatæ grauitas. Præterea si maioris corporis maior est grauitas, maior *G* *B*, quàm *F* *B* grauitas erit. Ita maius erit rei determinatæ pōdus, quàm interminatæ, magnitudinũque inæqualium idem erit pondus, cum res terminata & finita infinitæ sit inæqualis. Nec refert vtrum grauitas grauitatem æquare dimetiendo possit, an non possit. Vt enim non possit, eadem erit vis rationis: vt si *E* grauitas tertio *C* grauitatem metiens superet. Si enim *B* *D* tres magnitudines totæ sumantur, maius ipsarum quàm *C* pōdus erit. Ita idem incommodum sequetur. Sumi etiam possunt eiusmodi quæ metiendo æquare se possint. Nihil enim interest à pondere incipiamus, an à magnitudine. Vt si *E* grauitas sumatur, quæ grauitatem *C* æquare dimetiendo possit, & ab eo quod infinitum est id quod *E* grauitatẽ cōtinet, vt *B* *D* auferatur: deinde quã rationẽ pondus ad pōdus habet, eandẽ *B* *D* ad aliam magnitudinẽ, vt ad *B* *F* habeat. ab eo enim quod infinita est magnitudine, quantumuis detrahi potest: profectò his ita sumptis ac cōstitutis, & magnitudines & pōdera dimetiẽdo se æquabunt. Nihil etiam intererit ad probationem, sitne pari,